









1719.

1. Bastinellus, Geth. Christ., Ordin. Lectorum . . . decanus :  
l. b. i. p. d. (ad Reputationem solennem Lectorum  
*Terapaei Vogelii invitat)*  
*34. 36*
2. Bastinellus, Geth. Christ. : De medicis ex voluntate  
agroti prosperam curante . 3 Exempl.
3. Bergerus, Christ. Henricus : Lectores benevolam  
ad orationem, qua professiones institutionum  
juriis ciuilis . . . auspiciabiles . . . invitati
4. Berger, Christ. Henricus : De praescriptione  
ipm. s. litorum . 2 Exempl.
5. Bergerus, Fr. Gottfridus : Riches academicae Witten  
bergensis . . . cives academicos ad Viqua et  
Lectorum natalem dominic. noctis Festi Christi . . .  
invitat.
6. Bahn, Joh. Gottlieb : Simulationem religiosis  
i pro jure naturae iuris . . . obrum et leit.
7. Huppen, Christianus : De cessionibus iurisdictionibus

et extra iuris iustitiae carmineque differentias

2. Exempl.

Kellner sive no. 10 b

J. Avercher, Mart. Trich.: Animam creatissimam

Alii falso et vero adscriptam domini iniuriantem  
competere . . . defendet.

10. Lauter, Mart. Trich.: Dissertatio . . . De mundi,  
opiniones et sententias exhibet.

11. Henckel, Trif. Lutw: De varie fædorum  
diminutio.

12. Mencklen, Trif. Lutw: De reformatio*n*e*s*  
investituræ et vicinis alligationis, que  
sororius et vasallus iurum obstringant  
tur.

13<sup>rd</sup> Mencklenius, Trif. Lutw: Tansam de  
iure principis evangeli ci circu*s* diuinitia  
doctrinam . . . proponet 2. Secubl.

14<sup>a</sup> 26

= Menckemus, Georg Hugo: De resonione et iuris  
remissione ex time et ex mala. (mag. at vocant).  
25 Sept.

15. Reimarus, Herman Samuel: Discretatio scholastica  
de Machiavellio et Machiavellismo  
praemissa.

16. Spener, Jacob. Carol: Institutio Juris publico  
rechtis exterius quo aerius semper habi-  
tum est prelectionis ... iuris et commandit

17. Spener, Jacob. Carolus: publicas in It. Lucca  
hypocrisiam juri pendatii reputatus  
iuris et commandit

18. Spener, Jacob. Carolus: De tacita remissione  
felonie.

19. Wember, Dr. Balduinus. Ordines juridici. --  
Secundus: Lectio benevoli & p. I. post Mys-  
tationem solamente C. d. Faberis Michaelis

instat)

30. Novembris, Jr. Belthorus, Ordinem juremici  
decamus: lectori benevolentie S. p. d. f. ac dispe-  
tationum sollemnum Jr. Henrici Brantii  
instat.

21. Novembris, Jr. Belthorus: De cerebrinacertith-  
tine corporis selecti.

62/3.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**PRAESCRIPTIONE**  
**SPONSALIORVM**

QVAM

PRAE SIDE

**D. CHRISTOPH. HENRICO**  
**BERGERO**

INSTITVTIONVM P. P. DICASTERIORVM  
IVRIDICORVM, QVA E VITEMBERGAE  
FLORENT, ITEMQUE IUDICII PROVINCIALIS IN  
MARCHIONATV INFERIORIS LVSATIAE  
ASSESSORE

D. VIII, IVL. MDCCXIX

PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET

AVCTOR


**FRIDERICVS LVDOVICVS**  
**BERGER**

VITEMBERGA SAXO

---

VITEMBERGAE  
LITERIS AVGVSTI KOBERSTEINII  
M DCC XXIV





DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup>  
DE  
PRAE<sup>S</sup>CRIP<sup>T</sup>I<sup>O</sup>N<sup>E</sup>  
SPONSALI<sup>O</sup>RVM

§. I

**D**xploratum omnino expeditumque est, omni iure, dissolui sponsalia ac retractari posse, cum illa Diuinae, humanaeque, leges ab ipsa coniugali societate distinxerint mirifice, nec tantam indiderint ipsis uim et efficaciam, quanta quidein coniugia communita esse, constat. Id quod aperte innuit ICtus in *l. 1. n. de Sponsal.* ubi per mentionem sponsalia, ac repromotionem, futurarum nuptiarum definit Idem, consensumque sponsalitium a coniugali illo, ac nuptiali, solicite segregat.

§. II

Hinc nec est, cur mireris, plerasque olim gentes  
A 2 opti-

optimarum alias, ac saluberrimarum, conditrices legum, uarias infringendi rescindendique contractus sponsalios excogitasse rationes, quarum aliquae uel ex ipso naturali lege deponitae, aliquae faltem, statu cuiusque Reipublicae, eiusque forma, id suadente, adiuentae. Cuius quidem rei insigne, et conspicuum, argumentum praebent Repudia, Hebreis ipsis, Graecis, aliisque nationibus, frequentissima, quorum tamen indolem hic indagare, ab instituto ualde alienum foret. Conferatur de hocce argumento Io. SELDEN. de uxore Hebraic. et Diuort. Hebr. CYPRAEVS de Sponsal. c. 12. §. 1. seqq.

## §. III

In primis uero Romani, quemadmodum complura, sponsalibus, ac connubiis, conciliandis idonea, ob rationes non iniquas, formaeque Reipublicae ipsorum maxime congruas, legibus suis passim uetusissimis constituere, ita neque minus multas, atque memorabiles, causas, vinculis, mediante contractu sponsalio nexit, iterum tollendis, suffecturas, postteratii prodiderunt

## §. IV

Evidem, iam quaedam de Repudiis Quiritum, de quibus tot, tantaque, in luce nostro curiose exquisiteque fuere disposita, differere, animus non est, nec inquirere, an ea, uel ob levissimi momenti causas promiscue permitta, rectae dictamini rationis, Diuinoue praescripto, conueniant adeo, quod in primis negavit ARNISAEVS de Iure Connub. C. 6. S. 3.  
n. 14.

n. 14. seqq. uel, cur, causis, legibus definitis, suppressis  
plane, neque prolatis, distrahere sponsalia diuidere  
que coniugia, licuerit, Nou. 22. c. 4. Nou. 117. c. 10. Nou. 140.  
id ipsum enim optime expressit PLUTARCH. in Aemili.  
io. Hoc solum forsitan non incommodate sufficiat  
monuisse, rationem libertatis mittendi repudia, Iure  
Ciuii concessae, quae quidem uox comprehendit  
quoque sponsalium qualemcumque dissolutionem,  
inde et merito arcessendam esse, quod ipsa, infinitis  
fere Iuris huius sanctionibus, ad normam aliorum  
contractuum ciuilium redacta fuerint, & conformata.  
Neque enim secularia instituta spirituali tali charac-  
tere sponsalitiam instruxere conuentionem, qua-  
lem quidem ipsi assingunt Pontificum Decreta, sed  
intra simplices potius pacti fines cohibuerunt ita, ut  
plures adhuc ab ipsa recedendi prodiderint modos,  
quales quidem in extinguisendi alioqui ceteris ob-  
ligationibus locuni sibi nequaquam vindicant, quod  
sat evincit singularis illa dispositio l. i. C. de Spon-  
sal. cuius rationem non inconcinnam tradunt interpretes ad d. l. Conf. CYN. ibi, CYPR. de Sponsal.  
c. 13. §. 8. n. 1. ubi recte eos reprehendit, qui cit. te-  
gem de sponsalibus, de futuro intelligendam, putant

## §. V

Neque tamen licentia, & facultas, nexum spon-  
saliorum, mutuo iamiam assensu conualidatum, diri-  
mendi, adeo fuit protensa, quin certis potius inclu-  
deretur limitibus, proteruaque hominum, fidem da-  
tam pro lubitu uiolantium, prudenter sat excoigitatis,

A 3

nec

nec contemnendis, poenis aliquatenus coerceretur. Illos enim, qui sine iusta quadam causa a sponsalitia conuentione resilirent, arrhas datas uel perdere, uel in duplum restituere, salubriter sanxerunt Imperatores in *l. l. C. de Sponsalib.*

### §. VI

Idoneae uero, licitaeque, renunciandi promissioni nuptiali rationes diversae in Iure Iustinianeo subinde deprehenduntur, quo apprime referri queunt, infamia, prodigalitas, conueratio impudica, laesae crimena maiestatis, ueneficii, falsi, et reliquae, quae sollicite recensentur in *l. 8. C. de Repud.* *Nou. 22. c. 15. Nou. 117. c. 9. et 10.* Immo plures adhuc aliae passim, Legibus insertae, latitant, quas una eademque regula uix comprehendenteris, ut proinde arbitrium prudentis ac circumspecti iudicis hic neutiquam excludatur, prout bene animaduertit *CARPZOV. Iurispr. Eccles. l. 2. def. 176. n. 3. seqq.* Add. *SANCHEZ. de Matrim. L. I. Disp. 53. seqq.* Plures tamen, quas Canonici iuris, aliisque, afferunt interpres, sedulo congregatae a *GERHARDO de Coniug.* §. 160. sunt leuioris momenti, et uel risu explodendae, neque merentur, ut aliquid in iudicio ponderis ipsis tribuatur. *Conf. omnino ACCVRS. ad l. 5. C. de Sponsalib.* §. 1. *SICHARD. ad eand. n. 10*

### §. VII

Praesertim uero, et tunc, Repudium admittendum esse, ex Iure nostro patet, sicubi ultra conuentionale tempus, uel legale, differatur matrimonii, per spon-

sponsalia inchoati, sperata diu consummatio. Hic tamen, prius, quam ad institutum progrediamur, obserues, necesse est, sponsalia, sub conditione certi temporis, iis praestituti, inita, hoc, ante conuentionis complementum celebratae, elapso, irrita reddi, prouti diserte statuit Pontifex in cap. 22. X. de Sponsal. cum honesta quaevis conditio sponsalibus adiici queat, c. 3. X. de Condit. appos. CARPZOV. L. 2. Dec. 20. Quod tamen assertum tunc obtinet demum, si quidem detempore pactum inierint despontati, obligationis finienda ergo. Eo enim casu, ob tacitam, quae tali promissioni inest, conditionem, distrahuntur sponsalia, licet altera pars haud fuerit interpellata, SANCHEZ. de Matrim. L. I. Disp. 53. STRYK. ad Ius Eccles. BRVNNE. L. 2. c. 16. §. 9. Quid si enim tantum de restringenda, limitandaque, ea inter partes conuentum? Tum sane sponsalia, elapso quamuis termino, non expirant, nec repudio ullus locus datur, propterea, quod hic dies, maturandi potius matrimonii gratia, et ad solicitandum obligationis effectum, quam ad extinguendam ipsam, adiectus censetur L. 23. §. 1. π. de Recept. et qui arbitr. recep. Ceterum, interdum quoque terminum perficien-disnuptiis, ex officii, sibi met demandati, potestate, praefigere posse iudicem, haud est ambigendum, de quo quidem egregie differit SANCHEZ. de Matrim. L. I. Disp. 53. n. 9.

### §. VIII

Sed enim, de spatio illo, uel partium placito, uel judiciali auctoritate et prouidentia, definito, hic exponere, ac disceptare, non lubet, tantum iam paucis,

paucis, at non spennendis, argumentis ex ipsa Ratio-  
ne, ac Romanorum ingeniose inuentis statutis, ut de-  
monstraremus dissolutionem sponsalitii pacti, ex lapsu tem-  
poris legali, quam, haud forsan inconcinna, Praescriptionis  
Sponsaliorum uoce complectimur, insignis huius materiae,  
quem, rite modo cognoscatur, praestare queat, usus,  
et mirificae Doctorum circa ipsammet dissensiones,  
ex praeconceptis opinionibus dimanantes, nobis haud  
immerito persuasere

## §. IX

Evidem id uix quisquam in dubium vocauerit,  
Iure Romano, perfectam quod *évoquav* continet, mul-  
ta, egregiaque, prodata esse praescriptionis genera,  
quae accurate sat conquisiuit lo. OLDENDORP. tract.  
de Temp. Praescr. sed quorum aliqua, cum statui ho-  
dierno, aliter fere adornato, minus videantur con-  
uenire, nullam prouersus utilitatem praebent, et hinc in  
foris merito negliguntur, quaedam autem, quamvis  
optimis, Reique publicae summopere profuturis, ra-  
tionibus subnixa, cum ipsa uetusissimos forsan Qui-  
ritum sapient mores, institutaque, neque indeoles eo-  
rum, paullulum detrusa, reconditaque, facili adeo ne-  
gotio erui, et intelligi probe, queat (quomodo id in  
aliis fere rebus, antiquitate aliquatenus sepultis, eheu!  
contingere assolet fere) parum excoluntur, atque  
adeo exagitantur, ut nunquam ipsis, ob sinistras in-  
terpretum explications, et, a dexteritate fideque mi-  
rum quantum alienas, opiniones, locus in iudiciis re-  
linquatur. Eadem prorsus fata perpesta iam pridem est  
*Praescriptio Sponsalitia*, quae cum omni modo ad  
seculum

seculum nostrum quadret, tantum abest, ut Legibus Germanicis aduerfetur, ut potius iisdem mire sit conformis, immo uel ex ipsa Naturali Lege quadantenus queat deriuari.

### §. X

Nam, modo indolem praescriptionis hujus, in genere consideratae, exactius perpendamus, ex illo fonte, unde quidem sanctiones perpetuo ualituras, de-  
promant Legumlatores, ac pleraque Iuris sui, et tot gentibus communis, deduxere placita Romani, di-  
manasse illam merito, liquet. Cum enim omnis omnino praescriptionis, siue ea perimat obligatio-  
nem, actionemque, siue auferat rem, et ipsam alte-  
rius bonis per continuationem legitimi temporis ad-  
iiciat, origo genuina in legis connatae institutis sit col-  
locanda, nil prouersus impedit, quo minus et spon-  
salitiae conuentionis rescissio, ex lapsu temporis lega-  
li profecta, quam maxime ipsis congruere uideatur.

### §. XI

Et uero argumenta, quae, ad usucaptionum,  
praescriptionumque facultatem Iuri Naturali primi-  
tus afferendam, a Moralis scientiae cultoribus recte  
producuntur, ad praesentem materiam forsan non  
inconcinne accommodari possunt. Vtique, ad ne-  
gligentiam hominum, malitiamque, coercendam,  
terminandas lites, omnesque cauillationes praesi-  
scindendas, terminum quendam, iuri suo, ex conuen-  
tione, uel aliunde, quaesito, legitime persequendo,  
peremtorium, ut ita loquar, a legislatore humano  
constitui posse, immo omnino constituendum es-  
se,

B

se,

esse, est lumine rationis patet. Ut adeo summopere praedicandum sit, Leges Ciuiiles hic a norma tali haud discessisse, sed sponsalitiae quoque obligationi praestituisse certum tempus, ut perinde, atque aliae quae-cunque actiones, præscriptione interire possit.

### §. XII

Hactenus, quantum permisit instituti ratio, huius rei naturam primario ex Naturae Iure paullum enucleauimus. Nunc quoque, ad Constitutio-nes illas Romanarum Legum, quae sponsionis præscriptionem matrimonialis clarissimis uerbis ob ocu-los nobis ponunt, seduloque inculcant, aggredi, endare, et ab omni sinistra interpretatione vindicare, par est. Praesertim autem sese sicut nobis, atque argumentum hocce egregie illustrat, textus famo-sus ille ac praestabilis, qui extat in *Lege 2. C. de Sponsal.* ubi Caesares dispoluere sic, *Si is, qui pueram suis nuptiis pactus est, intra BIENNIVM exequi nuptias, in eadem prouincia degens, supersederit, eiusque spatii fine decurso, in alterius postea coniunctionem puerla pernenerit, nihil fraudis ei sit, quae, nuptias maturando, uota sua diutius eludi, non passa est*

### §. XIII

Neque uero sola haecce iuris Civilis sanctio sus-fecerit nobis, ad argumentum praefens pro dignitate exequendum, quia potius huc quoque arcessenda est *Lex 2. C. de Repud.* ubi quidem perspicuis, omniisque ambiguitate destitutis, uerbis rescriptum legimus, ac de præscriptione pacti nuptialis constitutum ita, *Li-*  
*berus*

berum est filiae tuae, si sponsum suum, post TRES PEREGRINATIONIS ANNOS, expectandum sibi ultra non putet, omissa spe huius coniunctionis, matrimonium facere, ne opportunum nubendi tempus amittat.

### §. XIV

Ex his quidem Iustiniane Iuris sanctionibus distincte sat, ac luculenter, patet, biennali inter praesentes temporis spatio, inter absentes autem triennali, sponsalia praescribi ita, ut termini eiusmodi lapsu omnis protinus obligatio, omne ius agendi, inde oriundum, penitus extinguitur atque perimitur, neque iure conqueri possit sponsus, ius, ex contractu acquisitum, hocce modo sibimet auferri, cum sponsa non ex proprio ausu, sed assistente, et praeeruite quasi, auctoritate legis, rescindat sponsalia, neque adeo ullo ea propter afficienda sit dispendio, immo potius sponsus negligentiae, fraudulentaeque machinationis, iustissimas luat poenas.

### §. XV

Immo autem nec rationes huius rei difficiles sunt indagatu. Praeterquam enim, quod iam supra abunde dedimus probatum, præscriptionem hancce ad normam Iuris Naturalis plane esse directam, uel saltem eidem neutiquam repugnare, id quoque, fundamenti instar, omnino posuere Legumlatores, quod procrastinatio eiusmodi, siue ex doloso animi proposito, siue ex culpa quadam supina, proficiscatur illa, tacitum quoddam inuoluerat inducatque repudium, tacitamque pacti sponsalitii re-

nunciationem, quo quidem merito spectat illud ueterum dicterium, *Qui diu dubitat, diu noluit*, SICHARD. ad l. 2. C. de Sponsal. BRVNREM. ad eand. Et, maxime puellarum, quibus saepissime forma protecta est, fauorem ac miserationem dispositionem huiusmodi extorsisse, ne illae opportunum nubendi tempus amittant, quae uerba sunt l. 2. C. de Repud. uix est, quod ambigas

### §. XVI

Identidem autem, ut Repudiorum leuitati, temeritati, et sic perfidia, ita et, uice uersa, trahendis, et differendis nimis diu, sponsalibus, iam pridem ante intercesserat Constantinus M. in *Lege 4. C. Theod. de Sponsal.* ubi ita disponit statutque Caesar. - - - *Quod si, pactis nuptiis, transcurso biennio, qui pueram despenderit alteri, eandem sociauerit, in culpam sponsi potius quam pueriae, referatur, nec quicquam noceat ei, qui post biennium pueram marito alteri tradiderit.* Immo, quod memoratu dignissimum nobis uidetur, Iure ueteri Teutonico, in primis Longobardorum Legibus *Lib. 2. Tit. de Spons. Lege 1.* parentibus sponsae id facultatis tributum esse, deprehenditur, ut hanc illis alii coniungere liceat, ac denuo desponsare, sicuti sponsus, monitus, ut ducat eam intra certum tempus, biennio, a sponsalitia quod inde conuentione effluxit, distulerit ducere, quem quidem riuulum ex institutis Romanorum, Germanis, in primisque Longobardis, nunquam non fere cognitis, esse traductum, non adeo inepte quisquam coniecerit. Ut adeo ex antiquioribus multo harum gentium moribus argumentum hoc eximi-  
um,

um, neque hactenus, quod scimus, rite discussum,  
declarari queat

### §. XVII

Subsistendum tamen neque hic nobis est, sed  
cautius inspiciendum, annon forsan ex inueteratis  
Romanae nationis institutis erui quicquam queat,  
quod materiae addat pondus, eam illustret, ma-  
gisque instruat. Non parum sane talis fecerit disqui-  
sitio ad commodius textus, quos supra recentui-  
mus, intelligendos, legum, in speciem pugnantium,  
nebulas ex ipsis legibus dissipandas, atque incongruas  
Dd. et aliunde depronatas, interpretationes felicius  
discutiendas. Equidem haud diffitemur, rem iam pau-  
cis uentilandam, multis esse dubius implicitam, ex qui-  
bus uel peritissimus uix sese expediatur, id certo tamen  
persuasum est, aliquid saltem, ad indolem Praescrip-  
tionis sponsaliorum studiosius indagandam, confer-  
re ipsam posse

### §. XIX

Consideranda hic uero sunt, antequam argu-  
mentum ipsum proprius accedas, insignis connubiorum  
in Republica olim Romana fauor, grande-  
que sat coelibatus odium. Si qua enim ulla alia  
gens matrimonii conciliandis magis intenta fuit, id  
quidem de Romano Populo affirmare merito licet.  
Cum enim ii, Rempublicam, bellorum in primis ci-  
uilium furore, uiris, bellis gerendis aptis, destitutam,  
proleque exhaustam, animaduerterent, illico iurita-  
bantur media, quibus, ad celebrandas inuicem nu-

B 3

ptias,

ptias, gignendosque adeo liberos, allicerentur ciues ac pertraherentur. Vnde tot leges ab antiquissima inde aetate, quibus, ad sobolem procreandam, non tam stimulo quodam naturali, quam gloriae, ac capessendi imperii, dominatusque uniuersalis, iamiam acquisiti, confirmandi, auiditate, inducti *Quirites*, non solum maritatis maxima praemia, priuilegia, immunitatum uaria genera, concessere, sed etiam coelibem degentes uitam, ad coniugalem ineundam societatem, poenis satis acerbis compellere haud dubitarunt

### §. XIX

In primis graues omnino coercitiones, etiam contra ipsum Ius commune, et Legem antiquam XII Tabularum, coelatui, orbitatique, irrogauit, et non spernenda foecunditati praemia proposuit, *Lex Julia Papia Poppaea*. Quam quidem, coniugatis propitiam adeo, constitutionem D. Augustum, suffragante Senatu, condidisse, egregie commemorat *Svetonius in Vita Augusti c. 34.* et communis fert interpretum liris sententia. Conf. *Baldvin. de Lege Papia*. Inde igitur, cum, omnia sanctionis huius, qua stante, stetisse quoque Rempublicam inconcussam, nouisque subinde adiuctam incrementis, passim celebrarunt scriptores rei Romanae, capita enarrare, propositi nostri neque exigat ratio neque admittat, hoc monuisse sufficiat, constituisse Caesarem, ut, post sponsalia, puluae puberis non protraherentur nuptiae, sed a contractis intra biennium sponsalibus acciperentur uxores, alias enim impune sibi eas post *biennium* aliam quaerere

rere posse conditionem, quamvis, si ipsarum culpa sponsalium consummatio fuerit impedita, restituendas arrhas iam dum acceptas in quadruplum, ea lege fuerit cautum

### §. XX

Hancce uero rem perspicue non solum indicat ICtus in Leg. 17. π. de Sponsal. quae quidem ad Legem Iuliam et Papiam est inscripta, cum ibi exceptionem quandam, sat exquisitam, profert Idem, de quo infra, sed etiam testimonio, quod uix tuto reieceris, confirmant, SVETON. in Vit. Aug. cap. 34. D 10 L 54. ZONARAS Tom. 2. et plerique Augustae Historiae Scriptores. Vbi tamen illud praeterendum haud est, poenam illam quadrupli, ueterilure exactam, uti aperte innuitur in l. 1. C. de Sponsal. l. 6. C. Theod. de Sponsal. l. 1. C. Theod. Si Rect. Proq. ibi, Poena eque expertes sunt, qua quadruplum statuit, l. un. C. Si nupt. ex rescript. ibi, poenam iuris, item, ex praecepto legum, quo quidem legis uerbo omnino intelligitur Iulta et Papia, ab Imperatoribus in l. 5. C. de Sponsal. fuisse abrogatam, in eius locum suffecta dupli poena, ita, ut nihilominus hodienum multa quadrupli illa satis acerba, ex conuentione, queat condici, uti recte obseruauit CVIAC. ad tit. C. de Sponsal.

### §. XXI

Legis igitur huius sanctionem, de biennali praescriptione sponsaliorum indefinite esse capiendam, immo Nouissimis Constantini M. aliorumque Caesarum, Constitutionibus, ante a nobis prolixe recensitis, confirmatam, et in usum redactam reuocata inque, licet

licet alia Legis *Iuliae* praecepta a Principibus, immutata Reipublicae forma, praesertim a Constantino M. qui, primus Imperatorum, Christianam professus est fidem, fuerint abolita, teste BALDVINO, *de Lege Papia*, plures interprétum Iuris nostri intrepide affirmarunt. Sed enim hic ipsis restitere acriter, sententiamque, communi probatam calculo, impugnare haud dubitarunt, incomparabiles alioqui Viri, IACOB. CVIACIVS, *ad tit. C. de Sponsal.* et alibi passim, ac IACOB. GOTHOFREDVS in *not. ad l. 4. C. Theod. de Sponsal.* qui quidem *l. banc 4.* unde *l. 2. C. de Sponsal.* fuit depromta, et misericorde a Triboniano nostro interpolata, uti *cit. l.* confitetur ipse GOTHOFREDVS, cum dispositione *Papia* nil plane, putant, habere commune, ideo, quod fraudulentis tantum et imaginariis sponsalibus positus obex, terminoque habendi sponsas tempus angustiori sit conclusum, ne finis *Poppaeae* Legis per immaturitatem sponsarum, proteruiamque sponorum (ad quos praemia, maritis indulta, etiam pertinebant, uid. Dio *L. 54. p. 609.*) et qui maritorum iuribus diutius interdum fruebantur, penitus eluderetur, unde, ad indefinitum quandam et generalem biennii praescriptionem concludere, minus liceat

### §. XXII

Has lites, diuersasque opiniones, in primis suscitat locus ille Suetonii notabilis, iam supra a nobis adductus, ubi potiora habentur ita, *Cum immaturitate sponsarum, uim legis eludi, sentiret, tempus sponsas habendi coarctauit.* Inde uero ii, qui praescriptionis fundamenta in uetustissimo hocce Quiritum instituto collocanda, ne-

da, negant, quod iam paululum teteximus, promunt te-  
la, quibus communem illam Dd. opinionem obruant,  
supprimantque. At, annon, si argumentum ex-  
actius consideres, limatiorique iudicio perpendas,  
aliam plane, quam proferunt iidem, explicationem  
admittant recipientue illa, quae ibi memorat Suetonius?  
annon forsan hisce uerbis indicare id uideatur  
idem, quod quidem certam, definitam, determina-  
tamque, ineundis sponsalibus, aetatem, sanctione  
*Papia*, praeфинierit Caesar? quicquid post id temporis  
ICto uisum sit, qui non, nisi annos septem, in con-  
trahendis iis requirit, *l. 14. n. de Sponsal.* uti id ipsum  
egregie demonstrauit ICtus ille acutissimus, FRAN-  
CISCVS BALDVINVS de *Lege Papia*, aliisque passim,  
quibus non omnino satissecere forsan CVIACIVS et  
GOTHOFREDVS in locis *supra citatis*. Et tandem, an-  
non DIONIS L. 54. ZONARAE Tom. 2. ceterorum-  
que, qui Augustorum res gestas monumentis litera-  
rum exquisitissime consignarunt, testimonia, ubi in-  
definitae tantum biennii praescriptionis, ad leuitatem  
repudii nimii paullatim constringendam, ac negligen-  
tiam despontorum itidem cohibendam, constitutaes,  
iniicitur mentio, plus, uel eandem saltem, mereantur  
fidem, moueantque mentem, quam quidem Suetonii?  
Sane, hasce rationes sedulo expendendas, quis  
tuto negarit? quae tamen minime id effecerint, ut  
alteras prorsus euellant, ac destruant

### §. XXIII

Quid ergo in hacce tenebrosa diffensionis ua-  
riae, dubiique iuris, mire obuoluta, caligine nobis-  
met

met sentiendum? Vtique, si quid hic libertati ingenii indulgere liceat, nobis non displicet communis illa Antistitutum iuris sententia, quam astruit omnino ac firmat origo et finis legis *Iuliac*, qui tendebat eo, ne in sponsalibus perficiendis, maturandisque nuptiis, necterentur morae, et puellae deciperentur, sed ut omnia essent rata, tametsi haec minus quadrent 4*i.* *C. de Sponsal.* Nondum enim compertum est, annon repudii, post Legem *Papiam*, tanta superfuerit manseritque licentia, an uero illa constricta aliquatenus sit ab Augusto, limitibusque iustis conclusa ac circumscripta, cum nulla constitutio tum temporis corroborauerit eam, longissimo post aeuo dēmū certa lege permisam, cuius quidem dispositionis Caesareae rationem haud forte immerito miratur STRYK. *de Dif sens. Sponsi. proem.*

### §. XXIV

Sed, plura, licet sint in promtu, ad haecce omnia plenius inuestiganda, attingere, uetat breuitatis studium. Ceterum, quicquid sit, de eo quidem uix ambigat quisquam, antiquitatum Romanarum paululum gnarus, Imperatores, in legibus illis recentioribus condendis, ad rationem Augusṭeae sanctionis, quam iam pridem ante ICti, *Gaius*, *Marcellus*, *Mauritius*, *Paulus*, *Terentius*, *Clemens*, *V'pianus*, plures recensere nil attinet, commemorationibus illustrauerant suis, ex quibus uarii dein a Iustiniano nostro, eiusque Exquaestore Magnifico, Digestis inserti inspersique sunt flosculi, uti apprime patet ex l. 17. π. *de Sponsal.* omnino respexisse, quod non solum de l. 2. *C. de Sponsal.* sed

sed etiam *l. 2 C. de Repud.* affirmari forsitan potest, ibi,  
*Ne opportunum nubendi tempus amittat*, licet id, quod de  
 triennali ibi habetur spatio, nequaquam menti Augu-  
 sti conueniat, cum biennium tantum praefixerit ille,  
 de quo supra. Quapropter, in *l. penult. π. de Sponsal.*  
 uocem annum uel abundare, uel biennium legendum  
 esse, monet *CVIAC. L. 16. Obf. 35.* et ex eo *ISAAC. CASAV-*  
*BON. in not. ad Sueton. in Vit. Aug. c. 34.*

### §. XXV

Hactenus ortum Praescriptionis Sponsalitiae, quo rite cognito, uniuersa eius fero indoles constat, quantum exigebat institutum, declarauimus. Sed, ul-  
 terius progrediamur, necesse est, et inquiramus, an-  
 non tam claris apertisque Legibus, quibus materiae  
 huius residet tutamen, atque praesidium, uel ex illis  
 ipsissimis, uel aliis Iustiniane iuris textibus, obiici  
 quiddam queat. Et non diffitendum, uarios hinc  
 inde offendit scopolos, qui materiae huic uideantur  
 metuendi. Praesertim autem hoc referenda est *l. 4.*  
*C. Tb. de Sponsal.* toties iam allegata, quae, dum solum  
 de milite loquitur, paganos a dispositione Legis *Iuliae*  
 excludere, illosque dispositioni ueteris iuris prorsus  
 relinquere, uidetur, quod et urget *JACOB. GOTHO-*  
*FRED. in not. bic.* At, cum non inepte quisquam iu-  
 dicarit, uti, iam pluribus argumentis congestis, ostendimus, Constantinum ad Legis *Iuliae* dispositionem  
 retrospicisse, quam quidem in hocce negotio distinxisse  
 milites a paganis, nemo temere crediderit, cum, ob  
 rationem eius penitus uniuersalem, omnibusque omni-  
 no accommodatam, etiam haecce lex ad paganos ui-  
 deatur esse proroganda. Vbi ista tamen occurrit

ambiguitas, quod non appareat, cur *Papiac* Legis prae scriptum hic repetierit, et biennii spatio sponsalia, a milite contracta, cohibuerit, Caesar, cum tamen militia iustam plane praebeat absentiae causam. *l. 30.*  
*et 32. n. Ex quibus caus. maior.* Sed, annon repetitio ideo forsitan facta, quod D. Augusti lex, ob effrenos tunc, libidineque corruptos, et mirum quantum a veteris prudentiae laude remotos, Romanorum mores, abierunt plane in desuetudinem? annon forte militis tantum singularis ibi iniecta mentio, prout factum contigerat, ad Caesarem relatum, uti putat ipse *Interpres?* annon id legis nostrae placitum fauori militum, miserationi puellarum quadanteius attemperato, tribuendum, ne his absentia, quae olim in militibus Romanis diu plerumque durabat, adeo noceret, cum alias hic dispositioni *l. 17. n. de Sponsal.* merito fuisse insitendum? Haec quidem momenta, si rite aestimaueris, facile sufficerint ad obiectiones, ex hacce lege repetitas, diluendas

### §. XXVI

Dein huic etiam argumento uidetur mire aduersari *l. 1. C. de Sponsal.* ubi alii despontatae, renunciare conditioni, et alii nubere, conceditur. Opus igitur non habebit biennium expectare, uel etiam triennium, si mero suo arbitrio discedere a sponsalitio pacto sponsa possit? Cur enim nuncium absenti mittere non ualeret, cum, etiam praesente illo, consilium mutare potuisset, quae sunt uerba *l. 2. C. de Repud.* Conf. *l. 10. n. de Sponsal.* Sed, praeterquam, quod dispositio *d. l. 1.* ferre a ratione iuris aliena, quae non patitur, ut fides data infringatur audacter, et uel ea propter miranda sit,  
 quod

quod temeritatem eiusmodi, ac libertatem, pacta a  
su temerario rescindendi, grauiter ac pie improbet A-  
lexander in l. 2. C. de Reb. Cred. immo et perfidiae reos  
ex merito illos postulet, qui a sponsalibus sine iustare  
cedunt causa, Constantinus M. in l. 4. C. Theod. de Spon-  
sal. intelligendum est in primis, facultatem illam lure  
quidem Iustinianeo sine causa permitti semper, uerum  
non semper sine poena. Arsharum enim dispendio  
plectebantur repudia, et, si poena per stipulationem  
adiecta, hanc quoque exigere, fas erat, quo in primis  
collimat l. 5. C. de Sponsal. Quod si uero intra biennium  
sponsus sponsam domum haud duxisset, iam im-  
pune discedendi licentia patebat sponsae

### §. XXVII

Nunc quoque, accedamus, par est, ad legem memo-  
rabilem valde penult. π. de Sponsal. quam forte et praec-  
scriptioni nostrae, biennii uel triennii spatio compre-  
hensae, obieceris. Sed ibi Gaius ita, Saepe iustae, ac  
necessariae, causae, non solum annum, uel biennium, sed  
etiam triennium et quadriennium, et ulterius, trahunt  
sponsalia, ueluti ualeudo sponsi sponsae, uel mortes pa-  
rentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrina-  
tiones, quae ex necessitate fiunt. Nonne hic igitur aperte  
contra uerba nostrarum Legum et Constitutionis Im-  
peratoriaie respondet ICtus? An ea propter huic Di-  
gestorum legi, per Decreta Principum ac Rescripta,  
inserta Codici, derogatum aliquid existimemus? Neu-  
tiquam, salua enim res est. Differit ibi ICtus de causa  
plane necessaria, qua quidem existente, sponsum ad  
tempus, Lege Papia praestitutum, haud adstrictum esse,

C 3

statuit

statuit Idem Lib. I. ad L. Iur. et Pap. unde haecce nostra excerpta, et rigorem iuris stricti, aequitati attemperat. Sed sanctiones Caesarum praesupponunt causas minus iustas, minus necessarias. Conf. l. 2. C. de Sponsal. ibi, uota sua diutius ELVDI non passa est

### §. XXVIII

Hactenus, uti argumenti postulabat dignitas, institutique nostri ratio desiderabat, prolixius forsitan explicuimus, quomodo querelae dissontantiae, quae moueri hic non incommode possent, ex ipsis Legum uisceribus, haud ita difficulter, ni fallor, dissoluendae sint, ut hinc quidem nil amplius periculi uideatur impendere. Sed enim hic denuo pugnandum contra eos, qui Iuris Romani textus, huc adductos, tot interpretationibus perturbant, exagitant, et uel plannissimum eorum sensum interuertunt, ut non immetrito colligat quis, genuinos materiae huius fontes eos haud attigisse

### §. XXIX.

Non enim desunt, qui l. 2. C. de Sponsal. minus de termino, lege definito, sed conuentione partium potius subnixo, intelligunt, hoc in primis argumento fidenter ducti, quod uerba ibi, PACTVS--- adstringenda sint ad casum pacti expressi, et a partibus, de consummandis intra spatium certum nuptiis, initi. Cui quidem sententiae addictos praeſertim uidemus SALYCET. ad d. l. 2. PANORM. ad c. s. X. de Spons. SCHNEIDEVIN. de Nupt. p. 480. seqq. BEVST. de Sponsal. P. I. Th.

*Tb. 60. FINCKELTHVS. Obj. CXI.* alias. Sed quis adeo omnes iustae interpretationis Regulas ignorauerit, qui non animaduertat, hancce explicationem nec uerbis, nec menti legillatoris, esse consentaneam, sensumque textus famosi plane corrumpere? Voce enim *PACTVS* innuitur ipsa conuentio, ipseque contractus sponsalitus, ibi, *Qui suis nuptiis PACTVS est*, post definit lex tempus, quo nuptiae debeat perfici, nec sponsalia amplius trahi, ibi, *intra biennium exequi nuptias etc.* Et, quomodo quaeſo satifſieret *l. 4. C. Tb. de Sponsal.* unde *l. 2.* defumſit Tribonianus et interpolauit (quem ideo, immerito forte, carpit *GOTHOFRED. ad d. l. 4.*) ubi hoc effertur ita, *Quod si intra biennium etc. Quod si pactis nuptiis, transcurſo biennio etc.*

### §. XXX

Neque minus uero errore grauissimo lapsi sunt illi, qui, in *l. 2. C. de Repud.* certam tantum facti speciem proponi, arbitrantur, quos inter eminent *PANORMIT.* *ad c. 5. X. de Sponsal.* quem magno agmine sectatur Canonistarum schola, *Cyn.* *ad l. 2. C. de Repud.* *BEVST.* *de Sponsal.* *P. I. Tb. 60.* *SCHNEIDEVVIN.* *de Nupt.* *cit. tot. IAC.* *GOTHOFRE.* *ad l. 4. C. Tb. de Sponsal.* Vix enim liquet, cur, iuris mysterium deficere hic, tuto dici queat. In plerisque enim Codicis Legibus occurruunt species facti, Caſaribus propositae, ad quarum dein relationem reſcripta condiderunt Imperatores. Sed haec uim legis uniuersalis habere, plusquam manifestum est *tot. tit. C. de Diuers. Reſcript.* In primis uero sententiam hanc firmat ratio, legi annexa, quam sane uniuersalem esse, et ad omnes puel-

puellas applicari posse, uix est ambigendum, ibi, *Ne opportunum nubendi tempus amittat.* Et frusta GOTHFRED. ad l. 4. C. Theod. de Sponsal. extrema legis uerba urget, cum illis rationem minus principalem, et secundariam, indigitent Imperatores, illaque, ceu superflua, fere omitti potuissent. Conf. quae diximus §. XXVI. Neque praetereundum hic loci, ipsam Glosam ad d. l. 2. cuius tamen exiguum sat esse, in controversiis decidendis, hodie auctoritatem, nequaquam diffitemur, talem interpretationem prodidisse, prouti et opinioni huic fauent SICHARD. BRVNNE MANN. ad l. 2. C. de Sponsal. et complures Dd. in d. l. 2. C. de Repud.

## §. XXXI

Alias equidem, horum textuum explanationes, quas afferunt BALD. ad l. 2. C. de Repud. CYPR. de Sponsal. c. 13. KLING. de Cauf. Matrim. p. m. 325. seqq. SCHNEIDEVVIN. de Nupt. cit. loc. ceteri, hic adducere, et sub examen uocare, non uacat, cum ex dictis sat, puto, liqueat, hasce leges, ad normam rectae rationis, et inueterati Romani moris, concinnatas, legale quoddam praescribindis sponsalibus, tollendaque obligationi, inde dimananti, praefiniisse tempus. Unde sua quidem sponte fluit, omne iudicis arbitrium cessare hic debere, quo spectat Axioma iuris, *Judici non de legibus, sed secundum eas, iudicandum esse,* quicquid in contrarium afferant SALYCET. ad l. 2. C. de Sponsal. BEVST. de Sponsal. P. 1. Tb. 60. alii, de quo infra pluribus

## §. XXXII

## §. XXXII

Neque vero sufficerit Praescriptionis Sponsaliorum fundamenta, ex luce Civili, paucis indagasse, immo iam progrediendum quoque est ad Pontificias Leges, curatinisque inquirendum, annon et ibi huius rei latent uestigia, praesertim cum tot mirificas interpretum dissensiones hic etiam deprehendamus, quas quidem rite compositas, discussasque esse, hactenus non constat

## §. XXXIII

Id quidem extra omnem dubitationis aleam longe est possum, sponsalia, ob absentiam et procrustinationem sponsi, circa consummanda illa admissam, omnino Canonico luce posse dissolui, prout disponit Alexander III. in c. s. X. de Sponsal. ibi, *Qui, praefatio iuramento, promittunt, se aliquas mulieres ducuros, et posse a, eis incognitis, DIMITTVNT TERRAM, se ad partes alias transferentes, hoc tibi, uolumus, innotescere, quod LIBERVUM erit mulieribus ipsis etc. ad alia uota se transferre etc.* Sed, an spatum legale istud Iustiniani juris etiam Decretis Papalibus omnino conueniat, an uero illud ab his correctum immutatumque fuerit, id sane est, quod ingenia Canonistarum ualde semper torsit, et maximas inter ipsos peperit lites

## §. XXXIV

Nimirum plerique, veterum in primis, interpretum existimarent, Pontificio luri incognitum

D

plane

plane esse terminum illum triennii vel biennii, immo disertae eius dispositioni quam maxime aduersari. Sed, cum plures ipsorum fateri nequaquam auderent, sanctum hic esse aliquid in illo, a ratione Iuris Civilis alienum plane ac dissimum, eo processerunt temeritatis ii, ut textus, quibus Praescriptionem Sponsalitatem fulciri maxime, supra probauimus, contortis fere interpretationibus, obscurarent, et, anxie conquisitis undique momentis, nullum eius uestigium ibi reperiri, tuto contendenter. Vid. PANORMIT. ad c. 5. X. de Sponsal. COVARRVV. de Sponsal. P. I. c. 5. n. 77. BALD. in c. 7. X. de Conſt. ANTON. BVRG. in c. 1. X. de Emp̄t. ALCIAT. ad c. 1. X. de Offic. Ord. Immo et isti, qui alioqui, sponsalibus consummandis legitima spatia Ius Codicis praescripsisse, lubenter agnoverunt, sacros tamen canones hic non dignatos leges seculares imitari, confidenter sat pronunciant, quam quidem sententiam tutari, uidemus, plerosque recentiores Iuris Canonici interpretes

### §. XXXV

Nec argumenta ipsis defunt, quae, ad sententiam suam stabiliendam, afferant. Praecipuum eorecedit, uti ex PANORMITANO, aliisque, antea a nobis allegatis, abunde liquet, quod Pontifex in alleg. c. 5. certi ac legalis spatii minus iniiciat mentionem, sed indistincte, ac simpliciter, facultatem concedat sponsae a contractu sponsalito recedendi, et ad alia se se uota transferendi, uerbis plane indefinitis; ibi, *Liberum erit*, unde, indefinitam sponsalia rescindendi libertatem datam esse, haud inique colligi queat. Neque immērito Decre-

Decreta Pontificia a Iure Romano discessisse, afferrunt, quod quidem, sponso in exteris regionibus longe peregrinante, sponsae immineat fornicationis periculum, et merito negligentia illius sit coercenda, qui uota sponsae turpiter eluserit. Glossam quoque ad l. 2. C. de Sponsal. licet de Iure Romano praescriptionem admittat, tamen, quoad canones, dissentire, ob uerba *secundum leges*, monet PANORMIT. ad d. c. s. licet ipse deinceps de hac re ualde dubitet

### §. XXXVI

Quanquam autem momenta haecce specie cu-  
iusdam canonicae superbiant aequitatis, tamen, si ea  
acriore ponderes iudicio, uel falla, uel huc minus  
cogrua, deprehendes. Id enim apprime obserues,  
uelim, ipsa d. c. s. uerba aliam plane, nostraeque senti-  
tentiae omnino consentaneam, suadere interpretationem  
expositionemque. Ex uerbis enim, *si di-  
mittunt terram, se ad partes alias transferentes*, satis ap-  
paret, non ob quamcunque sponsi absentiam, liberta-  
tem sponsalibus renunciandi sponsae concedere Pa-  
pam, sed tunc demum, *si dimittat terram, ad partes  
alias se se transferens*, adeoque reuertendi animum  
penitus abiiciat sponsus? Quid, si uero certa spes ad-  
sit, fore, ut redeat ipse? Hocce sane sanctione Papali  
haud comprehensum esse omnino arbitramur, uel  
ideo, quod dimittere terram non possit dici iste, qui  
consilium breui patrium reuertendi solum cepit, nec  
ad partes se se transferre alias, qui in uicinia, quamvis  
extra prouinciam, commoratur

D 2

### §. XXXVII

## §. XXXVII

Quamvis ergo Ius Pontificium discedat a dispositione Ciuilium Legum, quod, sponso domicilium mutante, sponsae facultatem tribuat sponsionem matrimonialem prorsus interrumpendi, quod tamen a Romanis nullibi constitutum esse, nemo fortassis ibit iusticias, id nihilominus plane haud effecerit, ut ea propter, diuersi quidpiam a Papa rescriptum fuisse, censeamus, ita, ut potius, sicubi de ipsosatus discedat reuersurus, praescriptionem illam Caesarei iuris etiam in foro Ecclesiastico admittendam esse, statuamus. Versamur omnino in materia iuris correctorii et exorbitantis, quod semper strictissime est interpretandum. Cui quidem et haec accedit non contemnenda ratio, quod iuris Romani, ac Cononici, non temere statuenda sit differentia, cum, inter utrumque mirificam quandam harmoniam ubique apparere, sat distincte ipse iudicet Pontifex in c. i. X. de Non. Oper. Nunt. et communiter affirment Dd. Et, cum manifestum sit, in dubio, quoties inter iura haec quaedam offenditur differentia, decisumque quid minus in alterutro certo deprehenditur, alterius definitioni minus litigiosae insistendum utique esse, tuto in hacce quoque re ad sanctionem Regulamque Iustinianae legislationis configiendum esse, liquet. Conf. GLOSS. ad c. 5. X. de Sponsal. SYLVESTER de Sponsal. qu. 16. cas. 4. MENOCH. de Arbitr. l. 2. cent. 5. c. 455. n. 7. LINCK. ad Detret. L. IV. tit. 1. pag. m. 630. STRYK. de Diffens. Sponsal. §. 4. p. 149. ibique

*ibique allegati Dd. BARDILI de Diuort. ex Caus. Desert.  
Tb. 33. alii*

§. XXXVIII

Quae hucusque autem, secundum praescripta  
ac genuina Iuris principia, late disceptauimus, ac per-  
hibuimus, eo collineant, ut demonstraremus, malitio-  
sam despontatorum desertionem, uel cunctationem,  
moramque, puellis mirifice perniciosa, spatio, le-  
gibus praefinito, elapso, id operari, eundemque pro-  
ducere haud inanem effectum, ut dein conuentio  
sponsalitia, omneque ius acquisitum, e medio tol-  
latur, extinguatur penitus, sponsisque liceat, sine in-  
famiae nota, quam lex irrogat iis, qui bina contra-  
hunc sponsalia *L. 13. §. 2. n. de his qui not. inf. arrharum*  
dispendio, uel ulla alia poena, in alterius peruenire  
coniunctionem

§. XXXIX.

Accipienda tamen, quae diximus, ita sunt, si quidem sponsa hocce beneficio, a iure indulto conceſſioque, ultro uti, illudque exercere, uelit, cum alias iniuita benignitas non abtrudatur l. 69. n. de R. I. Quid si ergo sponsus, sciente, ac consentiente, sponsa, per egre abierit, uel alia ratione consummationi nuptiarum, licet ob causas non necessarias, iniiciat moras? Tunc sane, licet spatium legitimum iamdum effluxerit, sponsalia rescindenda haud sunt. SANCHEZ de Matrim. Lib. I. Disp. 54. n. 13. Quinimmo etiam, cum sponsa peregrinanti sponso minus contradicat, ipsique itineris longinquitas, ac difficultas expeditionis,

D 3 haud

haud fuerit incognita, expectandus est eius redditus, licet absentia aliquanto diuturnior sit, cum discessus, animo redeundi factus, tacitam sponsaliorum renunciationem, tacitumque repudium, non inducat, nec, uota sua eludi diutius, iure conqueri queat sponsa, quae, cum debuisset, non contradixit, neque facultatem, lege permisam, sibi reseruauit

### §. XL

Neque uero minus quoque locum sibi vindicat Sponsaliorum Praescriptio, si sponsa pacti initi diffrat complementum, sponsum temere exagitet, et in mora sit constituta. Sponsus et sponsa sunt correlata in matrimoniali negotio. Atqui hoc exigit natura correlatiuorum, ut ius, constitutum in uno, ad alterum etiam porrigitur, et, quod dispositum est in hoc, id etiam in illo censeatur dispositum. Nec patet, cur non pari iure gaudere debeat sponsus, quale quidem sponsae benignitas Principum indulxit. Id certe, quod inconsideratus forte obiecerit quispiam mentem nequaquam commouere ualeat, quasi in omnibus Iuris textibus, huc spectantibus, soli sponsae libertas ea singularis tribuatur, cum illi exemplificative tantum (ut totam rem paucis complectamus) non dispositiue, loquantur

### §. XLI

Nunc quidem, perueniamus etiam, necesse est, ad controuersiam illam vulgatam quidem, nec tamen leuioris momenti, an quoque sponsalia de praesenti praescriptione hacce tollantur, ac rescindantur. Evidem, si argumentum istud ex Pontificii

tificii Iuris principiis dijudicare uelis, utique negativa magis arriserit. Cum enim a Pontificibus, in primis Alexandro III. c. 3. X. de *Sponsa Duorum* inuenta fuerit distinctio illa sponsaliorum memorabilis, simul quoque id Decretis suis constituerunt *Ipsi*, ut sponsalia, quae uocant, de praesenti, cum coniugio eandem plane sortirentur naturam, unde iidem quoque effectus, quos, rite celebratum, alioqui producit matrimonium, ipsis attributi, immo eadem vinculi indissolubilitas (sit uenia uerbo) quali matrimonia Lex diuina apprime, humanaque, communivit, indita est, uti ex tot Iuris Canonici textibus sat elucet, et communis interpretum, Pontificiorum, habet opinio

### §. XLII.

At enim ii, qui harum Papalium hypothesum indolem exactius indagarunt, quemadmodum distinctionem illam sponsaliorum, iuri Civili prorsus incognitam, et quae nec idiomatico Teutonico rite quadrat, sed, ab inanibus uerborum formulis petita, subtilitatem sapiat haud infimam, prorsus reiiciendam esse, non adeo inique existimarunt, praeente iam ipso LUTHERO Tr. von Ehe = Sachen. Conf. in primis CYPR. de *Sponsal.* c. 4. ita quoque, sponsalia quaevis a coniugio ipso quam maxime disiuncta esse, strenue ostenderunt

### §. XLIII.

Et uero, momenta (libet enim, licet forsan, rem, a proposito paullum alienam, neque tamen hic

hic plane peregrinam, latius persequi) quae quidem, ad conuentiones nuptiales ab ipsis discernendas nuptiis, a Nostratisbus adducuntur, plane idonea esse, et sententiam hancce optime confirmare, quilibet nobiscum agnouerit. Sane insignis illa disparitas uel inde liquet, egregieque comprobatur, quod sponsalia sint futurarum nuptiarum reprobmissiones, uti ad rem edisserit omnino I<sup>t</sup>Ctus in l. i. π. de Sponsal. matrimonii uero indissolubile uinculum constituat consensus, praesentibus adhibitus nuptiis. Conf. Nou. 18. et 22. Merito igitur constituendus est geminatus diversusque consensus, quam quidem sententiam graui-ter confirmant, Paulus l. 7. π. de Sponsal. Julianus l. ii. π. eod. qui, foedera nuptialia ab ipso coniugio perspicue separant, ac distinguunt. Quid, quod ipsum Ius Pontificium id agnoscat, probeque sat declarat, uti ostendit can. 30. qu. 2. Nec animum flectat forte Regula Vlpiani, quae extat in l. 30. π. de Sponsal. exinde in Canones relata, quippe quam non de consensu simplici et sponsalitio capias, sed coniugali potius, et, cum ipsamet ductione in domum, Romanis olim frequentata, iuncto, quae hocce casu traditionis loco est, et pacto stipata, ualidam producit obligacionem l. 48. π. de Pact. Conf. omnino CYPR. de spon-sal. c. 5. §. 1. seqq.

### §. XLIV

Ex iis, quae prolixius forsitan, quam praesentis materiae admittit tractatio, attulimus, facili negotio concluditur, quam maxime obligatio, ex sponsalibus de praesenti resultans, praescriptione rite adimpleta, peri-

perimatur, immo quantum conuentiones, de matrimonio contrahendo initae, ab hoc ipso discrepent, siquidem uel indolem praescriptionis huius intueare. Quamuis enim sponsalia, ob moram alterutrius sponsatorum, uel etiam absentiam, minus necessariam, postquam lapsus est legitimus terminus, retractari queant, idem tamen de connubio ipso, quod individuam uitiae consuetudinem continet. § 1. I. de Patr. Poteſt. nullibi constitutum legimus. Coniugi enim, non malitioſe absenti, nec desertori manifesto, nullam plane iacturam affert absentia, nec vinculum illud, a Deo nexum, diffecat, sed idem illud tamdiu illibatum manet, donec ad praesentem certa mortis alterius penetrarit notitia. L. 16. §. 14. π. de Diuort. Authent. Hodie C. de Repud. Nou. n. 7. c. 10. et II. c. 19. X. de Sponsal.

## §. XLV

Immo quoque memorabilis Sponsaliorum et matrimonii differentia, praescriptionisque, ad negligentiam morosorum puniendam, lege sanctitae, ratio, sat, puto, indicant, non eo adigi posse alterutrum despontatorum, ut alterum peregrinantem, absentemue, sequatur. Cum enim nequidem diutius, quam tempus legale currit, expectare teneatur sponsa, quanto minus, ut sponsum, licet hic non uagetur, sequatur, ipsi erit iniungendum? Quae omnia secus in uxore obtinent, quae maritum, etiam relegatum, haud deserere, sed ubique eum comitari, regulariter necessum habet. HARTMANN. PISTORIS L. 4. Obs. 148. n. 13. SVRD. de Aliment. tit. 7. qu. 26. n. 6. PEREZ. ad π. tit.

E

tit.

*tit. de R. N. n. 17. quicquid hic aliquatenus dissentiat  
RICHTER. L. I. Dec. 99. n. 8*

### §. XLVI

Id vero prius, quam de usu argumenti huius hodierno quaedam commemoremus, disquisitionem omnino mereri nobis uidetur, an sponso, qui nec erubescit, procrastinatione molesta, fidem, sponsae datam, infringere, neque iustas absentiae causas allegare potest, elapso illo spatio legali, competit ius, *targitatem sponsalitiam condicendi?* Neque enim interpretum hac de re sententias adeo conponare, compertum est. Decisio quidem affirmativa uel ideo placuerit, quod donationi isti, tacita quadam potestate, insit conditio nuptiarum, qua quidem haud existente, illa simpliciter irrita redditur, ac reuocatur, *l. 16. C. de Donat. ante nupt.* cum intuitu fiat ipsa futuri matrimonii *l. 15. C. dict. tit.* immo tunc quoque rite urgeatur repetitio, sicubi quicquam, consummationi coniugii nimis aduersum, superueniat, *Conf. l. 3. C. de Sponsal.* *l. 2. C. de Donat. ante nupt.* At magis est, ut sponso facultatem illam hocce casu prorsus denegemus. Sponsalitiae sane donationis ea est indoles, ut ob causam quandam futuram celebretur ipsa, qua quidem non secuta, actione, rite instituta, exigi datum repetique posse, vix est, quod ambigas. Haecce ramen accepti restitutio tum cefsat prorsus, si non per reum, sed per ipsum dantem, steterit, quo minus causa illa sequatur, quam quidem singularem regulae exceptionem sat inculcat *l. 10. et l. ult. C. de Condict. caus. dat. caus. non sec.* Immo spon-

Sponsus, temere moras nectens, sic, ut puella opportuno nubendi tempore propemodum excidat, poenas luat proteruiæ, par est, neque ratio iuris patitur, ut dilatio negotii, comprimis ex doloso animi proposito resultans, alicui unquam prosit. 1.173. §. 2. π. de R. I. Conf. omnino TABOR. Relat. Argent. 74. ibique citati

### §. XLVII

Huc usque disquisitum fuit, quatenus locum sibi Sponsaliorum vindicet Praescriptio, nunc etiam effectus, utilitasque, huius argumenti, quam istud in foris Germaniae praebere queat, penitus inspicienda est. Evidem, quod Ius attinet Romanum, illo prescriptionis huius usus non exiguis fuit, uti iam supra ostendimus, sed qui tamen non ita pateret late, propter libertatem illam, ob causas etiam lenissimas, sponsalibus renunciandi, Legibus Civilibus concessam. At cum aeuo hodierno infinita illa facultas plane sublata fuerit, et reprobata, quod quidem partim Christianae Religionis principiis, post demum rite excutis, partim Canonicis Legibus, in Germaniam pridem innectis, immo et Teutonicae fidei, quam uiolare, maioribus sacrilegii instar erat, haud immetato tribueris, certo inde quisque colligat, ampliorem nostro seculo Praescriptionis Sponsalitiae debere esse dignitatem

### §. XLVIII

Obseruandum tamen hic in primis est, quam plures esse interpres, qui quidem, sponsalia, ob absentiam alterutrius, uel nimiam cunctationem de-

E 2 spora

sponsorum, praesertim malitiosam, rescindenda esse, lubenter concedunt, sed uero, spatium istud, iure Romano praefixum, neutquam admittendum esse, arbitrantur, immo commentum, uti uocant, peregrinae legis in foris Germanici Regni nusquam fuisse receptum, acriter contendunt. Argumenta sat speciosa proferunt iidem, et praecipue urgent, Ciuale lus, licet iam pridem in Imperium nostrum introductum sit, immo ab Caesare ipso, Ordinibusque Imperii confirmatum, merito tamen haberi pro sanctione, quae demum obtineat in subsidium

### §. XLIX

Postea uero et hinc promunt, quo praestantiam Iuris Iustinianei, quoad hancce materiam, penitus conuellant, cum amplissimam autoritatem Canonicae legislationis, quam, in causis spiritualibus, ad quas, nescio, qua de causa, matrimoniales vulgo referuntur, in dicasteriis nostris iam dudum occupauit, feliciterque conseruauit, hue arcessunt, ideo, quod arbitrentur iidem, dispositionem Romanae constitutionis a Papa fuisse immutatam. Neque minus quoque euitari periculum fornicationis, sponsae imminens, conscientiae eius tanto celerius consuli, putant, si iudicis prudentis arbitrio temporis determinatio potius relinquatur, qui quidem, ratione circumstantiarum, augere illud, uel minuere, queat, ita, ut, elapso spatio, petitione partis innocentis desertae rite praemissa, ac processu praevio, hac in materia usitato, legitimateque pertractato, sponsalitii dissolutio pacti Ecclesiasticus iudex officium suum accom-

commodet. Conf. GERHARD. de Coniug. §. 612.  
 SCHNEIDEVVIN. ad tit. de Nupt. n. 46. BEVST. de  
*Sponsal.* P. 1. Tb. 60. CYPR. de Sponsal. c. 13. §. 70. seqq.  
 BARDILI de Diuort. ex caus. desert. th. 33. NICOLAI de  
*Diuort.* et Repud. STRYK. ad BRVNNEM. *Ius Eccles.*  
*l. 2. c. 17. §. 27.*

### §. L

Nihilo tamen fecius, quam maximi uideantur pon-  
 deris haecce uaria momenta, uix sufficient eadem huic  
 liti, ut par est, componendae. Quamuis enim lubenter  
 concesserimus, luri Romano per legem expressam, uel  
 consuetudinem contrariam derogari, illudque penitus  
 aboleri, et Iuris Pontificii, quod matrimonialia praes-  
 tertim attinet negotia, in foris, et (quod mirum) Pro-  
 testantium, egregium eminere ac stare usum, digni-  
 tatemque, id tamen, quem fugiat, pro Iuris Communis  
 obseruantia tamdiu esse praefumendum, donec  
 consuetudo contraria, eaque legitime praescripta, ut  
 ait Pontifex c. ult. X. de Consuetud. comprobetur? Quis,  
 quoero, dubitet, IustinianeI iuris dispositiones, etiam  
 in eiusmodi causis, quibus earum nulla superest auto-  
 ritas, quatenus Canonibus haud repugnant, immo  
 de re, his non ita perspicue decisâ, disponant, prouti  
 de Praescriptione Sponsaliorum iam supra pluribus  
 probauimus, pro norma certa esse afferuandas reti-  
 nendasque?

### §. LI

Neque animum fortasse disturbant cetera mo-  
 menta, in primis a fauore sponsarum desumpta, ma-

E 3

turan-

turandisque ipsarum uotis, cum non liqueat, quomo<sup>d</sup> biennii, uel triennii, spatio conditionem nu<sup>b</sup>bendi statim amittat puella. Sane ratio iuris non admissit, sponso, ex probabili, licet minus necessaria, causa, absenti, uel alias moras, sine culpa sua, ne<sup>c</sup>tenti, prae*ci*judicium quoddam afferri, cum nemo beneficiis iuris temere sit defraudandus. Cessat equidem, nostra aetate, exterminata pridem Legis *Papiae* sanctio, generaliter spectata, unde originem prae*scriptio*nis deriuant inter*pre*tes, de quo supra, sed, inde rationem finemque huius Legis, hodierno quoque statui maxime consentaneum, simul inter*i*lfe, temere haud existimes. Cui et hoc accedit, non ita facile sponsalia a iudice Ecclesiastico dirimenda esse

### §. LII

Sed non solum legibus, et argumentis, inde desumitis, sed etiam exemplis, pugnandum est. Memorandum enim, iam pridem in Proto-Synedrio Supremo Ecclesiastico, quod floret Dresdae, secundum iuris Civilis prae*cepta* fuisse pronunciatum, uti ex duobus Rescriptis haud ita obscure liquet, quae, quamvis proprie de coniugatis loquantur, ob identitatem tamen rationis merito ad despontatos proferuntur. Vid. ea apud CARPOVIVM *Iurispr. Eccles.* L. III. Def. 60

### §. LIII

Interim tamen, quicquid iam, ad auctoritatem Romanarum Legum, hac quoque in parte, in foro Teuto-

24

Teutonicō afferendam, adduxerimus, nequaquam difitemur, sed lubenter concedimus, in multis Consistoriis Germaniae, in priuis Saxoniciis Electoralibus, obseruantia quadam, moreque, iam pridem ibi recepto, tempus praescriptionis fere negligi, illudque potius ab iudicis dependere arbitrio, ita, ut nonnunquam biennium uel triennium, aliquando et annus unicus, ad dissoluenda, ob nimiam tarditatem absentiamque, cumprimis ex proposito doloso profectam, quam quidem Desertionis Malitiosae uoce denotare solent, rescindendaque sponsalia, legitime alioqui nixa, sufficiat, prout de eo testantur M.E.V.  
P. 4. Dec. 7. NICOLAI de Divort. et Repud. c. 3. n. 16.  
STRYK. ad Ius Eccl. BRVNNEMANNI L. 2. c. 16. §. 9.  
ibique allegati

### §. LIV

Ceterum, id nec hic locorum praetermittendum esse, arbitratismus Processum Desertionis, quem Romana iurisprudentia penitus fere ignorat, moribus hodiernis, apprime Saxonum, introductum, et in foro frequentissimum, non solum inter coniuges, ob malitiosam desertionem, diuertia impetraturos, locum sibi vindicare, sed etiam a desponsatis omnino, coram Ecclesiastico iudice, ex eadem causa intentari posse. Cuius rei ratio cuique facile constat. De hoc uero processu hic aliquid attingere, non lubet, nec instituti patitur ratio. Illa enim, quae tunc usurpantur, sicubi iste ab iis, qui matrimonium, rite initum, colunt, hactenus instituatur, ad vinculum eius plane disrumpendum, quidni et multo magis tunc de-

40 DE PRAESCRIPCIÓN E SPONSALIORVM

debeant obtinere, si alteruter desponsatorum fraudulentio animo hinc in exteras regiones discedat, cum difficilis multo coniugium dissoluatur, quam sponsalitius contractus? Conf. huc CARPZO VIVS *Iurispr. Eccles. Lib. 3, Def. 56.* seqq.

§. LV

Denique hic aliqua subnectenda forent media, quorum quidem omnium fere origo moribus Germaniae adscribenda, et quibus puellae contra sponsum, desertorem, succurratur. Quorundam in primis referenda est missio in bona absentis, ut alimenta inde consequatur. CARPZ. *Iurispr. Eccles. L. 2. Def. 36.* immo etiam, ut eo citius se sistat iudicio, et desertionis alleget causas. Nec non iniuriarum actione iniuriam recte vindicat sponsa, quae per cunctationem desertionemque, iniquo consilio factam, ipsi infertur, COTHMANN. *Vol. 1. Resp. 10. n. 25.* MEV. *P. 5. Dec. 195. et P. 8. Dec. 42. n. 3.* Tandem quoque actio in factum L. Aquilae, ex sponsalibus non consummatis, resultat ad damni, inde accepti, restitutionem, PETR. FRANCISC. *De TONDVT. Resol. Benef. P. 1. c. 116. n. 1. et 2.* SANCHEZ. *de Matrim. L. 1. Disp. 49. n. 12.* seqq. Verum, haec, fusius persequi, non concedit propositi nostri ratio, cum, momenta Praescriptio-  
nis Sponsaliorum tantum, exhibere paucis, atque enodare constitutum fuerit, pro quo labore exantlato sit


SOLI DEO GLORIA

**ULB Halle**  
000 654 957

3



TA-OC





Q. D. B. V.  
DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O IVRIDICA  
DE  
**PRAESCRIPTIONE  
SPONSALIORVM**  
QVAM  
PRAESIDE  
**D. CHRISTOPH. HENRICO  
BERGERO**  
INSTITVTIONVM P. P. DICASTERIORVM  
IVRIDICORVM, QVAE VITEMBERGAE  
FLORENT, ITEMQUE IUDICI PROVINCIALIS IN  
MARCHIONATV INFERIORIS LVSATIAE  
ASSESSORE  
D. VIII. IVL. MDCCXIX  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQUISITIONI SVBMITTET  
AVCTOR  
**FRIDERICVS LVDOVICVS  
BERGER**  
VITEMBERGA SAXO

---

VITEMBERGAE  
LITERIS AVGVSTI KOBERSTEINII  
M DCC XXIV

